

B. C. D.
SPECIMEN ACADEMICUM,
De

MODO,
QUO VOLUNTAS DI-
VINA SIT INVESTI-
GANDA,

QUOD,

Consent. Ampliss. Facult. Philosoph. in Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE,
VIRO CELEBERRIMO

DN. MAG. JACOBO
HAARTMAN,

Philos. & Hist. Litt. PROFESS. Reg. & Extraord.

Publico honorum Examini modeste submittit

GABRIEL ALCENIUS,
SATACUNDA - FENNO.

In AUDIT. MAJORI Die XX. Dec. MDCCLVII.
H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

VIRO Admodum Reveren-

DN. JOHANNI

PASTORI & PRÆPOSITO in lkalis longe meritissimæ servantiæ cultu sem-

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

DN. MAG. JACOBO ESTLANDER,

PASTORI Ecclesiarum Civitatis Christinæ, Parochiaæ Lap-
sied & Storå, dignissimo, Fautori & Benefactori omni of-
ficiorum genere ad cineres usque colendo.

VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo,

DN. DANIELI ROOS, SACELLANO in Lapsied Vigilantissimo, Fautori astuma- tissimo.

Primitias basce studiorum meorum editurus, vix tur-
bacce occasione animum simul declararem devin-
prorsus singularia, quibus, Fautores propensissimi, nullo
itaque verba, quæ in opusculo basce levideus comparent,
tes, sinatis queso, & illud quod Vobis offerre sustineo
cesserit, nihil mibi erit prius, nihilque antiquius, quam
beat Vos in annos bene multos felicem in his terris a-
corona, qua ornentur fidelissimi quique mysteriorum Di-

Admodum, Plurimum & Perquam Re-

Cultor hu-

GABRIEL

do atque Preclarissimo,

ROTHOVIO,

*simo, Patrono & Fautori exoptatissimo, quovis ob-
per devenerando.*

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,

DN. GEORGIO HORNBORG,

*PASTORI in Carcku & Suontiem*meritissimo*, ut ante
hac nutritio liberalissimo, ita jam Fautori omni honore
semper venerando.*

VIRO Perxuam Reverendo atque Doctissimo,

DN. ELIAE FONSELIO,

*SACELLANO in Ikalis Laudatissimo, Avunculo ut unico
ita & optimo.*

*pem ingrati animi notam evitare possem, nisi publica
etissimum & Venerabundum ob Favorem & Beneficiis
non tempore copiosissime me cumulare voluissis. Singula-
ut, quod per Vos fiat, hujus mentis meae agans interpre-
mimus, sereno adspicitote vultu. Quod si ex voto sac-
Deum Op. M. ardentissimis defatigare suspiriis, ut ju-
gere vitam, & hac tandem transacta, in cælis beare
vinorum dispensatores. Permanebo ad cineres usque
verendorum NOMINUM VESTRORUM
millimus,
ALCENIUS.*

Commissions-

Adel och

OIVOR

Herr JEAN

Lands-Fiscalen

Adel och Högwälvachad

Herr JACOB
HOLMLUND.

Samtliga Mine Gun-

Det må ej förekomma Eder mine Gunstige Gyn-
varande ringa arbete / som handlar om sättet /
welja. Ty min affigt har allenast dermed warit /
årtedd Gunst och bewägenhet. Uptagen alt deraföre /
upostrar Eder första afkastningen af min anlagde suis-
self så mycket / som gifwarens mening och stanclag
blifwa / at oasläteligen nurops Himpla Försynen om Es-

Mine Gunsti-

GÖDNIKE

GABRIEL

Ingenieuren
Högachstad/

BERGENTIN.

Råd och Handelsmannen uti Christinæstad,
Välaresborne och Högwälachstad

Herr M A T H I A S
BRUNCK.

stige Gynnare.

nare sällsynt / at jag härmed vågar tilägna Eder nära
huru vi igenom förnuftets lhus kunna igenfinna GUDs
offenteligen å daga lägga mit tacksamma sinne för all
Mine Herrar ej ogrundligt / at jag i brist på alt annat
les flit och idoghet / med begiåran / at ej gäfwan i sig
mätte anses. Hwaremot min skyldighet altid skall
der beständiga wålgång / och til mit yttersta framhärla

ge Gynnares

tjenare,

ALCENIUS.

VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo,
D^{N.} G A B R I E L I
A L C E N I O ,
SACELLANO Storænsium meritissimo,
PARENTI INDULGENTISSIMO.

Tandem exortus est blandus ille dies & longe mihi desideratissimus, quo beneficia Tua, Parentis indulgentissime, in me nunquam non collata Solenniter quasi & publico ex loco effici & celebrare mihi licet: eadem namque, si jam silentii involverem populo non mei solum ipsius parum essef memor, sed inter illos quoque, qui jura pietatis Parenti optimo debita, turpiter migrant, primum certe locum suummo quidem iure commerceret. Quo vero munere quave ratione tanta, quibus in pectore pio volvendis revolvendisque praecordia stupescunt, refundam beneficia, id placere nescio. Opusdum enim hoc, incorta plane minera elaboratum, tanto officio obcundo & desideris animi venerabundi ut faciat, quod satis est, tantum abest, ut illud potius vel cogitatione volvere aut fingere, summani redoleat arrogantium. His itaque cogitationibus jactatus, animui certe desponderem, nisi Parentis indulgentissimi propensio erga me exploratissima bono esse animo juberet, abimdanterque quæ deficiunt, deficiunt autem omnia, ex eodem fonte, quo cetera manarunt beneficia, supplerer. Hac spe induitus pagellas has, modum quo, voluntas Divina sit investiganda levites delineantes, eeu fructum. Tuarum impenitentiarum aliquantillum, in fidem venerationis ac pietatis nunquam intermoritura, apud Te, Parentis indulgentissime, depono. De cetero Deum omnium rerum Moderatorem devotissimis coimpelabo precibus, velit Te, jam jam senectutis ingredientem annos, quam diutissime adhuc farrum rectumque sevarare in Ecclesia commodatum, omniumque quotquot Tui sumus, solatium & tutelam certissimam. Ita ad ultimum usque vita fore terminum ex intimo pectore vovebit,

PARENTIS INDULGENTISSIMI

Obedientissimus filius,
GABRIEL ALCENIUS.



L. N. J.

§. I.



Odum, quo Voluntas Divina in-
vestiganda sit, Divinis sub au-
spiciis evoluturi, pauca, ex qui-
bus pateat, *in Deo dari volun-*
tatem, & qualis eadem sit, in
antecellum a nobis preferenda
esse existimamus. Supponimus
nempe, quod nemo nisi talpa
cæcior & atheus inficias ibit,
Deum esse creatorem hujus universi. Existit enim
hoc ipsum, ceu oppositum entis necessarii, finite,
contingenter, & dependenter h. e. ut possit existere
& non existere, existere aliter atque aliter, utque
propterea præter hunc mundum possibles sint alii
innumerii, qui modo a præsenti plane diversissimo,
tum ratione multitudinis & varietatis ipsarum par-
tium, tum ratione nexus & ordinis, æque potuissent
existere, atque noster hic præsens. Quare cum, salva
manente

manente hac ipsa possibilitate & aptitudine interna, quam quilibet eorum per se & per suam essentiam ad existendum sic habet, neuter tamen valuerit seipsum actualitate induere, aut ad existentiam de ipso facto pervenerit; alia utique in mundo præsenti, qui solus existit, existentiae actualis ejusdem ratio ponni debet, quam quæ in mera ipsius possibilitate continetur & concipitur. Nam alioquin aut in hujus possibilitate daretur aliquid realitatis, quod in reliquorum possibiliitate non deprehenderetur, quod manifesto implicat; aut hi iidem non potuisse non existere, quemadmodum jam existit mundus præsens. Posita nempe ratione in uno pariter atque altero similiter determinante, quæ hic nulla est alia, quam mera possibilitas, ponitur necessario in utroque ratio similiter determinata, existentia videlicet & actualitas. His accurata mentis lance ponderatis, patet, mundum hunc non in se ipso rationem existentiae suæ habere, sed in ente extra se posito, necessario puta, & independente, quod Dei nomine compellamus. Ulterius, ratio existentiae hujus universi pertenda est, aut ex ipsa *essentia* Divina, aut ex aliqua *actione* ejusdem. Non ex priori, quia essentia Divina est necessaria, universum autem hoc contingens. Ergo ex posteriori, h. e. ex aliqua actione Divina, eademque uon *immanente*, vel *necessaria*, qualis intra essentiam Divinam locum habet, & sine qua existentia Dei ne quidem concipi potest; siquidem inde redderetur hoc universum necessarium: sed ex *actione transeunte & libera*, quæ quippe in objectis

* *) , (* *

ab essentia Divina diversis h. e. contingentibus, terminatur, nec per existentiam Divinam determinatur absolute. Quam enim, uti jam vidimus, præter hunc mundum innumeri alii sint æque possibles, quorum utilibet in actum deducendo potentia entis illius necessarii infinita abunde & ex æquo sufficeret, intelligitur facile ejusmodi heic actionem locum unice habere, quæ eligendi facultatem spontaneam, & præluente quidem intellectu, importet, quæque adeo rationem, cur hic potius, quam aliis, existat mundus, in se contineat plenariam & sufficientissimam. Quare cum ejusmodi facultas sive vis, ex pluribus possibilibus pro sua cognitione eligendi unum præ altero, *Voluntas* dicatur; oppido patet, Artificem hujus mundi voluntate gaudere, actionemque ipsam ex limpidissimo *libertatis* fonte promanasse. Præterea observare non pigebit, Deum possidere omnes realitates compossibilis sine omni gradu; hinc etiam voluntatem, quam inter realitates referendam esse nemo facile negaverit, habet absolnte perfectissimam. Sic igitur pro intellectus sui profundissimi cognitionis que abundantissimæ infinita mensura, vere, sincere & efficaciter, actuque unico simultaneo, appetit omne bonum, & aversatur omne malum, vere tale, idque proportionaliter pro meritis causæ cuiusque, nec simpliciter solum & in se, sed relative etiam ad nexum & seriem totius.

§. II.

HÆc ipsa Voluntas Divina, quemadmodum infinita
A 2

nita est in se, infiniteque multa & varia, omnia quippe omnino appetibilia & aversabilia in regno possibilium, maxima, minima, sive absolute & in se, sive relative ad seriem & nexus quemque totius considerata, finu suo sovet & exhaustit: ita imperscrutabilis absolute & in se est, captumque omnem intellectus finiti cujuscunque superat & excedit longissime. Quis enim rationes heic objectivas, subjectivas, longe & mirifice implicatas ubique, complete & absque errore extricabit? Quis imperfectiones partium cum perfectione totius in harmoniam & concordiam rediget? Quis numerum entium & objectorum hic determinabit? & sic porro. Itaque modum, quo indagari possit Voluntas Divina, in praesenti hac opella expofituri, Voluntatem hic Divinam, non in *actu exercito*, ut loquuntur Metaphysici, sed in *actu signato*; neque tam *finalem* illam & *directoriam*, aut si mavis, *consequentem*, quam ponderatis singulis circumstantiis singularibus, etiam a voluntate libera creaturarum rationalis pendulis, & ad systema integrum universi relatis, exercendam quotidie sibi soli reservavit Deus; quam potius *primitivam* & *præviam*, aut si mavis *antecedentem*, prioris illius matrem & genitricem, quam abstracte quasi & generaliter circa bona vel mala singula, extra nexus totius, & antecedenter ad voluntatem humanam, instar canonis & normæ sibi met ipsi, nobis vero, eeu archetypam, sequendam & imitandam proposuit, considerabimus. Quemadmodum enim temerarium omnino foret & frivolum, in prioris illius oeconomiam sollicite inquirere, atque abyssum

abyssum consiliorum Divinorum ad nostræ rationis
menturam tenuem penitus exigere; ex parte dūfā-
xat & quodam modo, absit omnis protervia, si quid
heic sapimus, cognoscimus, nec nisi ex post facto
& a posteriori nobis pro certo innoteſcit, quid fa-
ctum heic infectumque voluerit summus rerum Mo-
derator: ita, postquam vestigia suæ illius, quam pa-
steriori loco laudavimus, voluntatis, rebus quibus-
que creatis, ipsisque adeo animis & mentibus mor-
talium, altius impressit; iisque viribus & capacitatem
instruxit creature rationales, ut eadem intueri & per-
spicere valeant, quantum satis sit & pro scopo ipso-
rum sufficerit; Quin hoc nobis officii loco injun-
ctum esse scrutinium posterius existimemus, omni o-
mnino dubio vacat. Suo quodam jure id a nobis ex-
igit Summus rerum arbiter atque Dominus, ut cum
longe plurima hoc in mundo permiserit arbitrio &
potestati hominum, quorum ideo actiones liberæ in
ipso Divino systemate influxum habent longe maxi-
mum, ipsi hi sollicitam curam teneant, ne rebellium
instar inimicis quasi cornibus sanctas ipsius leges op-
pugnant, sed sua voluntate & opera qualicunque Vo-
luntati Divinæ obsecundent. Proinde cum nostrum
jam sit pro modulo ingenii indagare modum, quo
conſet quid velit Deus ut homines agant; Tuum,
Benevole Lector, favorem nobis omni verborum ho-
nore adpreciamur, ut tenuitati juvenilis ingenii hu-
maniter ignoscas, innoxiumque hocce nostrum cona-
men mitiori subjicias censuræ.

§. III.

JAM vero ad cognitionem voluntatis Divinæ per venire possumus dupli via, *rationis* nimis. & *revelationis*. Hac, ceu ad forum nostrum non spectante, utut longe præstantiori, omessa, *rationis* solum hoc in negotio sequi ductum, animus est. Voluntas Divina ope *rationis cognoscibilis* est, tum *a priori*, quatenus ex conceptru illo, quem de Deo infinito Divinisque ejus attributis, pro modulo nostræ cognitionis, sed vere tamen & cum fundamento in re, fovemus animo, interpretamur voluntatem ejus; siquidem hanc illis conformem omnino & per omnia, prout Deum quidem nostrum decet, esse debere, pro certo & infallibiliter concludere liceat. Tum *a posteriori*, quando nimis ex rebus creatis, quæ in magno atque stupendo hujus mundi theatro inveniuntur, earumque natura & indole, argumentamur ad usum, quem inde voluntati Divinæ convenienter facere quomodoconque licebit, aut fieri etiam inde debet: neque enim aliter res istæ singulæ sunt spectandæ, quam indices pariter atque vindices voluntatis Divinæ, ipsarum productricis. Prior ille modus *directe* & *generaliter*, posterior *indirecte* tantum, sed *specialiter* & determinate tamen, dicit ad cognitionem voluntatis Divinæ. Sed de singulis jam sigillatim.

§. IV.

ET attributa quidem *Divina* quod attinet, ex quorum consideratione pervenire debemus ad geno-

generalem quandam voluntatis Divinæ cognitionem, sunt eadem perfectiones, quæ tum a priori ex idea entis perfectissimi, tum a posteriori ex opere creationis & conservationis, per triplicem viam, causalitatis, eminentiæ, & negationis, Deo nostro competere deprehendimus, quæque pro nostro concipiendi modo notionum partialium instar ipsius Divinitatis plenitudinem ingrediuntur, neque separari inde ulla ratione queunt: sit ita, quod pro sublevanda intellectus nostri angustia, & in signo rationis, ut dici solet, cum omnia & singula unum idemque sint realiter, eadem tum a se invicem, tum ab essentia Divina, distingvere & conceptu separare necessum habemus. Ut vero sunt eadem immutabilia in se, atque cum ipso etiam Deo reciprocabilia, ita nee potest Deus, quam certo quidem existit, quicquam velle, quod iisdem ipsis aliqua ratione sit dislentaneum, justus e. g. injustitiam, bonus malitiam, & sic porro. Repugnaret hoc summæ illi, qua pollet summum Nuren, voluntatis suæ libertati pariter ac perfectioni, quia velle non potest, nisi quod ipsum deceat, h. e. cuius aliquia in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia & attributis ipsius, ratio continetur, cur potius velle debeat, quam non, velle sic potius, quam aliter. Sic vero eadem ipsa quoque distincte evoluta, quo usque per naturam patefacta sunt, cynostiræ loco erunt nobis in voluntate Divina interpretanda, siquidem id nunc agitur, ut ad hanc conformanda sit voluntas nostra, principiaque generalia suppeditentur nobis, ad quorum ductum actiones per omnem vitam

tam nostram componere possimus voluntati Divinæ
convenienter. Absit enim ut voluntatem heic *signi*,
aliquibus sic dictam, commitemus ullo modo cum
voluntate beneplacitū, aut hanc illi adversam pronun-
tiemus. Si quæ heic suboritur difficultas, ut qui-
dem facile, ob varias objectorum externorum ad at-
tributa varia scheses, indeque prodeuntē collisio-
nem horum apparentem, suboriri poterit intellectui
finito in casu quoconque speciali; ea quidem omnis,
quemadmodum ex limitationibus encium finitorum,
maxime accidentalibus creaturarum rationalium, ulti-
mato resultat, ita exercitium & applicationem attri-
butorum Divinorum, non attributa Divina in se &
absolute spectata, afficit, aut intentionem primam Di-
vini creatoris mutat.

Agedum ergo, dirigamus animum proprius, sed
paucis, ad considerationem eorundem. Atque ut in *at-tributis* ita dictis *operativis*, quæ aliquam sive intellectus
sive voluntatis operationem idea sua involvunt, heic im-
primis subsistamus, facillimo negotio, iisdem rite & qua-
par est reverentia consideratis, patescit, Deum nostrum
velle ut non nisi bona & optima quævis agamus. Vene-
ramur scilicet Deum creatorem universi, eundemque
& intellectu, & voluntate, & viribus, absolute *per-
fectissimum*, ut qui per has effectui dat, quicquid
vult; per istius vero præstantiam nihil agere frustra
aut temere potest; pro illius denique immensa omni-
tudine, & fines naturæ suæ convenientes h. e. o-
ptimos, actionibus præstituere, & media ad istos du-
centia accommodatissima, certissima, brevissima, de-
termina-

* * *) o 9 (* *

terminare, finesque omnes particulares subordina-
re ita sibi invicem exactissime novit, ut propiores
remotioribus, omnes autem ultimo subservire pos-
sint, id quod *sapientissimi* demum est & *omni sapi-
entis*. Absit ergo, ut caecum heic quid aut bru-
tum sive in toto, sive ex parte, statuamus. Est
vero idem sibi ipsi sufficientissimus, neque ullius
rei extra se quomodo cunque indiget; *independens*
quippe, & fontem omnium in se perfectionum in
gradu absolute summo habens, quarum intime si-
bi conscientia complacentia summa in se ipso adquie-
scit. Est hæc *Bonitas* ipsius *essentialis*, cuius adeo
vi non ex naturæ suæ necessitate quadam & indi-
gentia, aut quod ad ipsius perfectionem conferre
quicquam res aliæ possint; sed potius ad pate-
factionem sui ipsius, manifestationemque gloriæ
suæ, quod, ut ipse sibi in suo opere, quod se di-
gnum omni ex parte solus perfecte & adæquate no-
vit, aplaudere vere potest, ita creaturæ etiam ra-
tionales haberent, unde Majestatem & divitias pro-
fundissimas sui Creatoris agnoscerent devotissime,
produxit hoc universum, cum maximis & mini-
mis, quæ illud constituunt. Est etenim idem quo-
que *Bonus relative*, ut qui ad largiehdas entibus
aliis extra se omnibus, pro capacitatem singulorum,
& quantæ in ipsa cadere possunt, perfectiones o-
mnes, pronus est atque facilis intenfissime. Quo-
niam itaque major creaturis rationalibus, quarum
hic præcipua ratio est habenda, perfectio contin-
gere nequit, quam ubi perfectionum Divinarum

cognitione viva imbutæ, actiones suas iisdem con-
 venienter direxerint, siquidem tum demum con-
 sensus verus adest facultatum atque virium in i-
 psis omnium ad hoc reale unum & principale,
 quod eas beatas maxime & felices reddit, participa-
 tionem videt. bonitatis Divinæ infinitæ, conjunctum
 que eidem intime statum gaudii & adquiescentiæ
 perdurabilis: gloriam quoque suam, modo maxi-
 me illustri & qui ipsum decet, in creaturis ita ma-
 nifestavit, ut singulæ sint specula perfectionum Di-
 vinarum, sapientiam quippe, potentiam, bonita-
 tem, iustitiam, cæteraque ~~ægym~~ Divina, tanquam
 in speculo demonstrantia *objective*. Cui siquidem
 accesserit quoque *manifestatio subjectiva* in homine,
 creatura rationali, qua eadem ipsa attributa in
 creaturis ita prosequitur sua consideratione, ut
 motiva fiant suarum actionum, ipseque adeo trans-
 formetur in imaginem Dei vivam; habebit Deus
 finem omnem, quem per creationem pariter ac
 conservationem, quæ continuata est creatio quæ-
 dam, ultimato intendit, objectivum quoad homi-
 nem, pariter atque subjectivum respectu sui ipsius.
 Proinde etiam, quæ summa est ipsius *sapientia*, ne-
 xum omnium cum omnibus, pro hoc fine utro-
 que obtinendo, universalem hoc in mundo ita
 constituit, ut non tantum egregie inserviat unum
 usibus atque necessitatibus alterius, utque abunde
 sic prospectum sit perfectioni cuiusque accidentalis,
 pariter atque essentiali; verum etiam quæ summa
 est ipsius *iustitia*, ut suum cuique heic tribuat, mo-
 do

do quo bonitas & sapientia monstrat eidem convenire, h. e. ut bonis bene, malis vero & refractariis male eveniat. Atque sic quidem perfectiones & attributa Divina, maxime operativa illa, quousque per creationem & conservationem hujus universi patefacta & manifestata sunt nobis, mirifice in hoc uno consentiunt, ut facillimo inde negotio conficiatur, *velle Deum, ut non nisi bona & optima quævis sequamur, tum* quidem respectu Dei creatoris, gloriam ipsius quantum in nobis est, illustrando & manifestando, non tam objective, ut sit per creaturas inanimatas & irrationales, quam subjective, ut ex intuitu perfectionum Divinarum in creaturis, motivis ducti convenientibus, vivis simus præcones & interpres laudum Divinarum: *tum* vero etiam respectu nostrum ipsorum, ut perfectionum nostrarum accidentalium, non minus quam essentialium, pro viribus simus custodes & promotores mutui pariter atque integerrimi; sic enim demum, & per hunc finem intermedium, Deus, quæ bonitas ipsius est, intendit suam gloriam. Et quam certo quidem *sanctissimus* est & permanet Deus noster, tam certo quoque malæ actiones ei displicant, quippe quæ, ceu finibus hisce repugnantes, & Deo, & nobismet ipsis, & aliis hominibus, quod eorum est, quodque iidem sibi jure quodam suo a nobis pollicentur, detrahunt; quemadmodum contra summo beneplacito illa amplectitur omnia, quibus hisce desideriis piis satisfit. Hinc neque potest non, pro sua *justitia*,

poenas actionibus correspondentes illis infligere, & hos contra præmiis ornare, qui bona & optima quævis agunt.

§. V.

Hæc generalis quædan idea est officiorum nostrorum ex priori illo (§. 3.) voluntatem Divinam cognoscendi modo resultans, totumque systema universi, quaqua versum patet, & creaturis oppletum est, suo ambitu suoque quodam modo respiciens. Sequitur *modus* alter *specialis*, qui globum hunc terraqueum, & creaturas præcique rationales, ejusdem incolas, respicit, determinate magis easdem instruens de voluntate Divina, ut jam non solum pateat homini, quid Deus velit eundem agere aut non agere, sed quomodo etiam & qua ratione agendum sit eidem, quo generalem illam Dei voluntatem casu quolibet dato speciali effectui dare, actuque & opere ipso exsequi liceat. Quemadmodum enim actus omnis voluntatis nostræ elicitus, ubi deliberate aliquid agendum erit, praxisque adeo omnis moralis, quæ eidem nascitur, syllogismum practicum quendam, tresque adeo propositiones, finu suo fovet & involvit, quarum ultima conclusionis loco actum ipsum voluntatis ultimum; reliquæ duæ, præmissarum instar, motiva ejusdem, & prærequiūta ad hunc actum necessaria, nobis repræsentant, e. g. Quicquid gloriae Divinæ est consentaneum, illud agendum: Atque hoc vel illud est gloriae Divinæ consentaneum,

E. hoc

E. hoc vel illud est agendum; aut in contrario casu omit-
tendum.

Vel sic: Quicquid nobis (vel aliis etiam) perfectionem con-
ciliat, illud est amplectendum:

Atque hoc vel illud nobis (vel aliis etiam) perfectionem
conciliat,

E. hoc vel illud amplectendum.

Vel sic etiam: Quod suum est, id cuique (adeoque huic vel
illi in singulari) erit tribuendum:

Atque hoc vel illud suum est,

E. hoc vel illud eidem tribuendum:

Ita majore propositione, quæ semper genera-
lis est, nec sufficienter satis ad usum nostrum evo-
luta, ex consideratione attributorum Divinorum
jam superius deducta & elicita, nondum absque saltu
quodam periculo transitus inde patet ad conclu-
sionem, qua, quid hic & nunc pro rerum nostra-
rum statu atque conditione agendum vel non a-
gendum sit, definitur; nisi per propositionem mi-
norem, ceu subsumptum majoris, generalis illa pro-
positio aut regula specificetur, atque ad casum
præsentem rite adplicetur. Vult Deus felicitatem
& perfectionem nostram, vult gloriam suam; sed
pro nostra capacitate, modoque, qui naturæ no-
stræ finitæ, statuique nostro pariter atque indoli
rerum creatarum ceterarum, convenit. In
hoc itaque enodando præfens jam opera nostra
collocabitur, quantum instituti ratio permiserit, no-
dumque istum solvet.

1. *Consideratio rerum creatarum*, ut quas finibus
atque legibus supradictis voluntatis Divinæ gene-

ralibus egregie & ex asse subservire deprehendi-
 mus, tanto quidem magis, quanto indolem atque
 naturam earum specificam, legesque mutationum,
 quibus subjectæ sunt earum singulæ, rimamus pro-
 prius, & distincte quantum satis est evolvimus.
 Nam ut taceam structuram & fabricam cujusque
 admirandam, ordinemque, quo mutationes, sche-
 ses, & metamorphoses, singulæ in singulis, se in-
 vicem excipiunt, qua quidem re vel sola, ipsa quæ-
 libet res minima suo modo laudat Deum, testimonis
 umque exhibit perfectionum Divinarum luculentissi-
 mum: nisum impressit provida rerum natura singulis
 mirificum, qui sponte quasi sua tendit ad perfectio-
 nem & conferyationem sui, cui & ipsi rei nexus
 rerum sapiens & universalis mirum quantum ob-
 secundat atque opitulatur; cujus luculenta habe-
 mus indicia in apum republica, pariter atque in
 œconomia animali cæterorum, etiam infimi gene-
 ris, animantium, velut insectorum, quin & in fru-
 ctificatione & reliqua structura vegetabilium. Sed
 vero per essentiam quoque suam aptæ sunt singu-
 læ ad certos usus humanos, qui & per naturam
 rerum, accedente cumprimis opera intelligentis ar-
 tificiali, sua quasi sponte prodeunt suo loco atque
 tempore, ut perfectissima sit singulorum ad se in-
 vicem harmonia atque concordia. Et tametsi le-
 ges suas servet natura in singulis rebus creatis san-
 ctas & inviolabiles, tantum tamen abest, ut im-
 perium aut regimen humanum detrectet aut recusat
 penitus, ut sua etiam sponte opem ejus exspecta-

re quandoque, & ultro quasi efflagitare videatur. Ipsa namque illa aptitudo rerum essentialis ad usus humanos, non omnis semper adest in potentia proxima ut dicitur, sed occulte interdum nimis & remote; quæ causa est, quod naturam arte perficere, aut longius altiusque evehere, quandoque etiam sub jugum quasi mittere, in potestate hominis sit positum e. g. præparatio lini, vel serici, pulveris pyrii &c., ita vero creata sunt singula ad certum finem, certosque usus humanos, ut rite & recte quidem adhibita iisdem inserviant, at neglecta vel male applicata, non inutilia solum evadant, sed interdum quoque noxia. Sic igitur Deus vult, ut naturæ atque indoli cujusque rerum creatarum convenienter, & pro earundem ad res nostras habitudine naturali, iisdem utamur, abusum vero seu usum naturæ cujusvis inimicum & contrarium improbat, & quandoque etiam detestatur e. g. saevitiam in res animatas; & oppido simul patet, quam sit in præsenti hac consideratione necessarium homini, mundum hunc incolenti, & debite rebus ejus utenti, *Physices* & *Scientiarum* eidem cognatarum, pariter atque in consideratione sui ipsius & sui consortium, *Jurisprudentie* studium, siquidem illa leges atque regulas mundi materialis, quemadmodum hæc mundi rationalis, applicate ad rem nostram tradit atque exponit.

II. *Ex consideratione naturæ nostræ* ulterius voluntas Divina cognoscitur. Habet nempe homo capacitatem usibus non solum rerum variis jam

memor-

memoratis percipiendis, thesaurosque naturæ am-
 plissimos in sinum quasi suum recipiendis & fo-
 vendis, verum etiam perscrutandis iisdem atque in
 suos usus convertendis, sufficientem & maxime ap-
 positam. Constat etenim *anima*, parte nobiliore,
 quæ facultate duplii instruta est, informativa una
 quoad intellectum, qua affectiones rerum, etiam in-
 timiores & reconditos, cognoscit; altera imperati-
 va quoad voluntatem, qua in bonum quodque &
 optimum, ab intellectu sic cognitum, sua natura
 fertur & nititur: & *corpo^re organico*, quo, cœu in-
 strumento admirabili & percommodo, partim res
 externas & phænomena mundi hujus adspectabilis,
 eorumque omnium ad se suasque res habitudi-
 nem, mens ipsa peropportune adsequitur; tum ve-
 ro mundum quoque ipsum corporeum tractare,
 atque varie disponere pro arbitrio, immo artis
 quoque cujuscunque stupenda opera hoc illuc ver-
 fare, & suis usibus variis diversimode adaptare
 potest. Ad varia namque & multo quam diver-
 sissima ministeria hoc ipsum corpus, quod cœu sibi
 semper præsens & intime junctum, in relatione
 ad cætera mundi hujus adspectabilis, pro suo &
 proprio mens agnoscit, per suam essentiam æque
 est dispositum. Quemadmodum vero sic pollet ho-
 mo perfectione essentiali, ita accedit eidem quo-
 que accidentalis, in quantum & quousque facul-
 tibus & viribus a natura sibi concessis, animæ &
 corporis, intellectus & voluntatis, in rebus qui-
 busque, semet ipsum, aut alios homines, aut

Deum

Deum etiam creatorem concernentibus, recte & naturæ suæ ipsius, pariter atque rei cujusque, convenienter utitur. Nam quod primarium est & præcipuam hic considerationem meretur, *libertas* illa, quæ voluntati nostræ naturalis est, per reliquas omnes facultates, Animæ & corporis, mirum quantum, sua se influentia ita transfundit, ut aliam prorsus induant speciem, quam alias per se habent; quippe cum jam non solum *rationis* vi, *nexus* actionum suarum inter se, dependentiam suam a rebus cæteris & consequenter ab ipso Deo, ipsumque nexus rerum in mundo materiali pariter atque rationali obvium, per videre possit: sed motivis etiam suis convenienter, & prout eidem placuerit maxime, sponte sua & libere ad agendum vel non agendum, sic vel aliter, determinare semet ipsam; huicque porro actui, ceu *elicto*, *imperatos* quosque cæteros, tam animæ ipsius, quam corporis, conformare & adaptare queat. Sic vero sibi potestatique sui ipsius redditus homo, non solum corporis curam debitam, cum rebus huc pertinentibus habebit, sed cognitione etiam rerum omnigena & virtutibus se decentibus animum exornabit, quin etiam ex contemplatione sui ipsius, pariter atque mundi hujus adspectabilis, adscendet tandem tanquam per scalas ad cognitionem ipsius Dei. Tò vivere namque naturæ suæ convenienter, nemini, & ne ipsi quidem Deo, summo naturæ Conditori, in fraudem cedere potest. Tria namque principalia illa præcepta, sed longe amplissima, & exæquo quidem, exhaustit: *Cole Deum, socialiter vive & cura*

cūræ teipsum. Quandoquidem vero ob nexum, qui eum cæteris mundi ſiuijus adſpectabilis corporibus intercedit corpori illi, quod pro ſuo & proprio agnoscit mens noſtra, a circumſtantiis quibusque externis varie afficiuntur & multipliciter dependemus; ideo pro diversa harum conditione, ſpecialiſſima tandem voluntatis Divinæ ſpecimina & indicia exſurgunt.

III. *Ex conſideratione ſitus noſtri.* Nam quemadmodum in uno eodemque ſitu non omnes collocati ſumus, ita nec uno eodemque modo vitam ſuſtentare, nedum felicem agere nos poſſe, experientia luculentiſſima & ubique terrarum obvia, plus ſatis teſtatur. Aſt ſi modus vitam ſuſtentandi, inde exortus, fuerit diverſus, diverſi etiam labores, qui ad ſitus locique indolem ſemper ſunt attemperandi, ſubequendi erunt. Et quum homines tam quoad corporis ſtrueturam & vires, quam quoad animi dotes, uti jam in praecedentibus adſeruitur, ſint habiles ad vitam atque felicitatem, vario modo atque juxta rerum, quæ heic influunt, naturam, promovendam augendamque; facilime deprehendimus, aptitudinem hanc illis a Creatore ſapiențiſſimo non fruſtra eſſe confeſſam, verum porius ferio iſum voluiffe, ut eadem circumſpeſto confilio, juxta ſitus ſui iſorum naturam, ad quasvis diſſicultates, quæ vitam felicem impediunt, removendas, & quasvis reſ, quæ felicitatem vitæ augent, cum excogitandas, tum efficiendas applicent.

ATque ut nervos tandem dicendorum in unum contrahamus, facile ex iis, quæ in rem præsentem dicta & allata jam sunt, ratio simul patebit, cur ex consideratione *naturæ* triplici, anterius explicata, voluntas Divina investigari determinatius possit. Creavit nempe Deus hominem ob duplarem finem, nimir in manifestationem gloriæ suæ & felicitatem illius. Ast hoc ob finitam hominis existentiam & limites quibus eadem circumscripta est, exigit, ut homo sit collocatus in ejusmodi statu, qui ambobus hisce finibus convenit; consequenter ut, in relatione ad res alias, quibuscum existere, & a quibus in existendo suo dependere debet, ipsæ hæ res, pariter atque reliqua ipsius constitutio intrinseca, rationem in se contineant, cur finis ille utrumque actum consequatur, aut consequi saltem possit. Hæc igitur quum media sint, sine mediis autem finis nunquam obtineri possit, eadem ipsa ut in hominis potestate sint necessum est, & quidem tanta, qvanta ad finem hunc obtainendum sufficiunt. Quare cum in eundem hunc finem, propter quem creatæ res semel sunt, & in his præcipue homo, easdem porro conservet quoque Deus quotidie, ut que in esse suo perseverent & existere pergant, efficiat; media illa jam quoque invenit homo, partim in ordine & serie hujus universi, sufficientissima, ut supra jam §. V. evicimus: quæ si recte, & intentioni Divinæ primæ conformiter adhibuerit, finis

ipsum nunquam frustrabitur, quo minus, accedente
sic arbitrii & libertatis usu legitimo, perfectioni es-
sentiali, quam habet per essentiam, supercedat quo-
que accidentalis; quacum non felicitas solum ipsius,
sed gloria etiam Divina & manifestatio hujus subjecti-
va in homine, induculo nexu ita cohæret, ut hæc
abique illa non magis sane, quam illa sine hac, ob-
tineri aut separari nulo modo possit. Neque enim
gloriæ Divinæ illustratio locum habet in homine abs-
que usu legitimo facultatum & realitatum ipsius
complexè sumtarum omnium, neque harum **vicissim**
consensus & usus dari potest plenarius & intemera-
tus absque charactere hoc & criterio suo certissi-
mo. Ut vero quoad praxin parum sic refert, quem
deum cunque ex his duobus ceu principalem fi-
nem amplexus aut adsecutus fueris, siquidem utrum-
que Deus ex æquo vult, & perfectionem quoque
felicitatemque hominis quam quidem maxime, ita
omnis in eo cardo jam versatur, ut cum habeamus
finem generalem ultimum, ad quem tendere debeant
actiones nostræ omnes & singulæ, habeamus media,
quia ipse Creator nobis loppeditat, usibus nostris
variis idonea: hæc illi adaptare, finesque iisdem de-
bitos pro indeole & natura cuiusque varia præstrue-
re, sibiq[ue] invicem subordinare ita queamus, ut in
perfectionem nostram vere & ultimato cedant. Sic
enim deum mediis istis recte & intentioni primæ
Divinitate conformiter utimur. Atque hic quidem Rho-
dus, hic salta. Neque enim perinde est, qua de-
mumque ratione actiones suas homo pro isto fi-
ne

ne obtinendo instituat, mediisue dictis utatur. **A**busus rerum extantiores sunt, proh dolor, quam ut negari aut ignorari ulla ratione possint. Idem vero per se & per suam naturam imperfectionem rebus creatis adferunt, atque in destructionem ipsarum, pariter atque ipsius hominis, ultimato vergunt. Cum itaque fini creationis primario, pariter atque ipsi conservationi rerum Divinæ, quæ absque perfectione & felicitate creaturarum, inchoata saltem, si non omnino consummata, ne concipi quidem potest, tantundem repugnat, quantum usus rerum vel mediorum rectus eidem favet atque respondet; non potest Deus non per summam voluntatis suæ perfectionem, qua in absurdâ & impossibilia cæco quodam impetu haud-quaquam fertur, hos adprobare, illos autem aversatione summa detestari. Quis enim est, qui absurdum non videat, creare mundum propter suam gloriam, & nolle tamen eundem jam existentem continuare & conservare? vel conservare etiam, nec detestari tamen abusum in destructionem rei vergentem? quod perinde sane esset, atque ipsam gloriam suam, vel perfectionem etiam creaturarum, simul velle & non velle; velle finem, & nolle media ad finem ducentia. Et cum præterea ipsa quoque natura per se universa, quousque viget & vivit, præcipue autem humana, ut quisque ad se ipsum attendens animadvertisit, ab omni omnino destructione & imperfectione abhorreat; instinctu vero quodam, ipsa Divina manu eidem impresso, semper ad bonum & conservationem sui ipsius mirifice feratur; tanto quidem

magis non usus modo rerum ab abusu, sed quid verum hic quoque præcipue sit, ab apparenti probe distingvendum. Media ista non facimus aut virtute nostra producimus, sed qualia demum a Creatoris manu accepimus, adoptamus eadem, atque in usus nostros convertimus; recte quidem, quousque id sit naturæ cujusque convenienter, modoque, qui hominem decet maxime h. e. qui naturæ ipsius rationali non repugnat, quo sic quidem actionum liberarum cum naturalibus quibusque consensu obtineatur. Sic vero, cum determinatio quædā in heic ubique locum habeat rationi conformis, habebit utique homo in natura rerum, pariter atque sua ipsius, fundatam semper regulam atque normam suarum actionum, eandemque pro varietate casuum singularium divertere mode ad applicabilem & in specialiores plurimas resolubilem, sed stante hac quidem natura rerum, constantem sibi & perpetuam non minus, quam vere Divinam; siquidem ipse Deus auctor est naturæ, quam sua conservatione etiamnum dignatur, ab omni omnino abusu rerum & voluntatis ad malum tendentia longe quam alienissimus. Oppidoque patet, tanto quidem magis adæquatam, omnique numero absolutam fore, quæ inde hauriri debet, Divinæ voluntatis quoad nos nostrasque actiones cognitionem, quanto penitus naturam omni ex parte consideraverimus, quoque majorem in usu atque selectu medium, qualia ipsa nobis subministrat, adhibuerimus circumspectionem; quod ipsum svadet utique tam jus illud perfectum, quod Deo quivis rationis particeps

ceps vi creationis competere novit, homini leges præscribendi, quam infelicitas illa, quæ hominem, leges has sibi præscriptas susque deque habentem, non solam minatur, sed etiam certissime & infallibiliter citius serius vexatura est; ut pluribns mox videbimus.

§. VII.

HÆc ipsa voluntas Divina, quam ex consideratione naturæ sic investigare licebit, ipsissima *Lex est Naturæ* illa, per rectam rationem manifestata nobis, quam recte ideo nonnulli definiunt per decretum Numinis, hominibus per rectam rationem innoscens, obligans eos ad faciendum & omittendum, quod cum natura eorum convenit, vel non convenit. Hæc namque quandoquidem determinat, ut illa appetamus, quæ naturæ convenient, h. e. quæ nos nostrumque statum perficiunt, & ut ea aversemur, quæ naturæ non convenient, i. e. nos nostrumque statum deteriorem reddunt, quæ materiale suum prorsus coincidit cum voluntate Divina, superius jam a nobis investigata. Et ipsum formale quod attinet, in vi obligatoria situm, ea utrobique eadem est, siquidem unus idemque Legis auctor & voluntatis suæ arbitr sapientissimus, pro substratæ materiæ, rationumque objectivarum identitate, non nisi eadem utrobique motiva cum actionibus homogeneis connectere, necessitatemque sic agendi & non agendi moralē superinducere potest. Itaque cum lex naturæ non sit nisi voluntas Divina in natura nobis manifestata, hinc eandem modo supra allato invenire possumus.

§. VIII.

§. VIII.

SED & *Legum Civilium* eadem est ratio, ut quæ nihil aliud sunt nec esse debent, quam applicatio Legis naturalis ad speciales quosque casus ab imperante facta. Quemadmodum enim in natura hominum fundata est vita socialis, ad perfectionem mutuam conjunctis viribus promovendam instituta, adeoque etiam civilis; ita in hac boni publici cuiusque atque communis cura, adeoque Legis etiam naturalis custodia, Imperanti summo demandata est. Itaque cum is propter populum, bonumque hujus commune, sit, non populus vicissim aut bonum publicum propter ipsum: *Leges civiles omnes*, quæ ab imperante proficiuntur, rationem sui habere debent objectivam, non subjectivam solum; adeoque fundari debent in lege naturæ, quæ Deum agnoscit auctorem, & per quam Deus nobis voluntatem suam manifestavit. *Ista enim si destituuntur*, erunt inutiles & noxiæ, variisque instantiis & exceptionibus obnoxiæ. At quam primum Lex civilis nititur ratione objectiva, erit de ipso facto naturalis, sed specificie ad genium hujus rei, loci aut temporis, ad **commodata e. g. aucupium certo anni tempore vetatum, tormentorum explosio tempore ad pescaturam idoneo, mercium externarum abusus, aut usus nimius prohibitus, & sic porro.** Sed heic aliquis obvertere posset: *Quandoquidem Lex naturæ auctorem agnoscit perfectissimum, hinc ea omnia præcipere debet, quæ ad bene beateque vivendum requiruntur, neque adeo Lege civili erit opus.* R:s Verum quidem est,

est, Legem naturæ ea omnia determinare. Attamen specialia omnia, bonum magis publicum & commune, quam privatum, spectantia, eademque abstrusa interdum nimis, & latentia, quæ tamen esse populi esset maxime nosse & observare, non ita attendit idem aut adsequitur, quemadmodum summus Imperans, in specula quasi constitutus. Et præterea quoque cum vindicta Numinis lento plerumque procedat gradu, vesana hominum, plus justo indulgentium affectibus suis perversis, licentia, sine mali præsentis repræsentatione, speciali quadam & positiva, qualis in Lege civili locum habet, in gyrum rationis & officii sui cogi non potest. Sic itaque cuivis patebit, Legem civilem esse maxime necessariam, & ceu interpretem Voluntatis Divinæ, elevare & exaggerare ea ipsa, quæ vult DEus, ut homines agant; & proinde etiam ex iisdem fontibus derivandam esse ipsam, ex quibus scaturire docuimus Legem naturalem, atque ipsam Voluntatem Divinam.

§. IX.

QUOD supra vero jam §. VI. paucis tetigimus, in Voluntate Divina inquirenda eo magis nos oportet esse sollicitos, quo certius constat, omnes nostras realitates dependere a DEO, nosque nostram veram & genuinam perfectionem nullo modo promovere posse, nisi Voluntati Divinæ convenienter actiones nostras direxerimus. Etenim quotidiana

experientia magistra novimus, omnes illas actiones, quæ a nobis suscipiuntur contra legem naturæ, sive voluntatem Numinis, nos una cum statu nostro reddere imperfectiores, miseriamque nostram magis magisque augere, atque tandem, nisi in tempore medela adhibeatur, nos penitus in extremam perniciem præcipites agere. E contrario autem illa eo magis imminuitur, quo diligentius actiones nostras ad Voluntatem Divinam componere studeamus. Ita e. g. homo temperans, qui, quod sibi met ipsi secundum præscriptum Legis naturæ debet officium, lubenter exsequitur, non solum habet valitudinem æquabilem inconcussamque, verum etiam animum hilariorem & tranquillum, cum intemperans versa vice enervat corpus suum, jacturamque facit sanitatis, qua destrœta ad munera rite obeunda & quæcunque alia officia præstanta ineptus evadit. Ut taceamus, quanta opum diminutio, quanta famæ existimationisque jactura, quanta conscientiæ labes & vulnera horrenda, subsequantur actiones, quæ contra Voluntatem Divinam suscipiuntur. Magni itaque interest, investigare voluntatem Numinis, quò agere possimus, quæ vult, omittere autem, quæ ei displicent; quo ipso vere felices redimur. Vere inquam felices, quia non tantum actiones singulæ, quæ ad normam Legis f. Voluntati Divinæ componuntur, novam aliquam semper adferunt felicitatem, sed omnia etiam mala & bona, quæ fortunæ vulgo, sed an recte satis, non dixerim, adscribi solent, ita a Voluntate Divina omnium

mnium rerum moderatricē disponuntur, ut in verū felicitatis nostrā incrementum vergant. Hinc quid de adversis, quibus boni haud raro vexantur, & quæ nobis, fructum sāpissime lippientibus oculis contemplantibus, & ex ingrata corticis specie nucleum flavissimi & saluberrimi gustus rejicientibus, iudicia quandoque temeraria nimis extorquent, sit tenendum, non adeo arduum est investigatur. Sed neque admiramur florem malorum, qui felicitatem non Voluntatis Divinæ, sed appetitum sensitivorum, decempeda metiuntur, ex toto deflorescere tandem, & ad instar frugum in defectu humoris succosi inopinanter marcescere, licet nobis sāpenuero constantissimam felicitatem referre videatur.

§. X.

Multa quidem adhuc, quæ ipsam præcipue praxim & applicationem principiorum hactenus evolutorum concernunt, restarent excutienda circa nobilissimam hancce materiam, sed quoniam perplurimæ rationes brevitatem nobis fvalent, paucis hisce allatis telam exorsam finire cogimus. Quæ igitur protulimus B. L. benigniori subjicias censuræ, & quæ desiderantur, Tuo suppleas Favore. DEo interim, cuius Voluntatem pie veneramus, sit in æternum.

GLORIA.



Eruditissimo atque Præstantissimo

Domino AUCTORI,

Amico Astutissimo.

Maxima commoda ex scientiarum & artium liberalium cultura in vitam humanam redundare, qui reu rite perpperderit, inficias iturum credidero nomen. Sine his enim, nulla vera felicitas dari, nedum conservari potest. Miramur igitur merito Summam Numinis Sapientiam, qui singulis mortalibus peculiarem indidit inclinationem, qua unus ad hoc, alter vero ad aliud studii genus, natura magis aptus invenitur. Quod certe non alio factum est fine, quam ut quilibet pro suo modulo, salutem civitatis totis promoveat viribus; ut nexus inter communem & privatam felicitatem firmior evadat. Hinc eorum conamina justis laudibus minime sunt defraudanda, qui scientiarum deliciis capti, & vero amore publici commodi permoti, cognitionem Philosophicam maximo sectantur ardore. Horum in numerum Te, Eruditissime Domine, merito referendum esse, specimen hoc Academicum, quod publici juris nunc facis, satis superque comprobat, quo luculenter ostendis, Te in studiis fecisse progressus non mediocres, sed eximios. Ut laudes, quas sic promerueristi, exponam, & Tua vetat ingenua modestia, & tenuis prohibet ingenii mei vena. Gratulor tantum egregias mentis Tuæ dotes, sedula & multiplice lectione excultas. Gratulor Tibi insignes progressus in Philosophia, & lauream, qua Apollo tandem caput Tuum est redimiturus. Gratulor demum omnibus, Tecum & sanguinis & familiaritatis vinculo conjunctis, illis cognatum, his vero amicum exoptatissimum, favissimum. Ex intimo pectore denique vovo, velit DEus T. O. M. honestissimis Tuis conatibus suam benedictionem largiri, quo fructibus laborum tuorum quam diutissime sic frui Tibi liceat; sic vovet

Tuus ex affe
ROB. COLLIN.